

## PSALMVS XL.

AD PRÆCINENDVM, PSALMVS DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

**P**salms iste à nonnullis totus, à quibusdã ex parte aliqua tantum Christo adscribitur, propterea quòd vers. 7. 8. 9. per autorem Epistola ad Hebræos, cap. 10. Christo adaptantur, & tanquam vaticinium de Christo citantur. Ego arbitror nihil obstare quòd minus omnia Psalmi huius ad Christum pertinere intelligamus. Nam etiamsi ad Dauidem pertineant, atque in illo locum habuerint quæ hic commemorantur: notum tamen est, Dauidem fuisse typum Christi, & non solum quatum ad verba, sed & quantum attinet ad ea quæ passus est. Quòd versu 13. peccatorum suorum meminuit, putant quidam non posse adaptari Christo, quòd is peccata non habeat. Nos verò putamus etiam eum versum non dedecere Christum: qui etsi propria non habuit, nostra tamen peccata in sese transtulit, factus peccatum pro nobis, vt nos iustitia effemus in ipso.

Est autem Psalmus partim gratulatorius, prædicans acceptum diuinitus auxilium, & Dei bonitatem, paratam omnibus illum inuocantibus, seseq; promptos diuinæ voluntati offerentibus: partim verò precatorius. Nam vltima sui parte iterum auxilium Dei implorat.

Dispositio Psalmi.

Tres partes habet hic Psalmus. Prima prædicat & extollit bonitatem Dei, qua sperantes in se, & in tribulationibus ad se clamantes benignus exaudit & liberat. Altera complectitur animi gratitudinem, gestientis sese totum diuinæ voluntati, deinde & gloria Dei ampliandæ consecrare. Tertia habet precationem pro auxilio contra hostes impetrando, qua & Psalmum terminat.

PRIMA PARS.

**E**XPECTANDO expectaui Dominum, & inclinauit ad me, & exaudiuit clamorem meum. VERS. I.

2. Et exultauit me de puteo strepitus, de luto limoso, & statuit supra petram pedes meos, direxit gressus meos.

3. Et dedit in os meum canticum nouum, laudem Deo nostro: videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Dominum.

4. Beatus vir, qui ponit Dominum spem suam, & non aspicit ad superbos, & ad vana declinantes.

**B** De puteo strepitus. ] Ebr. מְבַרְשָׁאָן. Græc. & vulg. Lat. De lacu miseria. Hieron. De lacu sonitus. Iustianus. De lacu tumultus. Pagn. E' cisterna sonitus.

LECTIO.

De luto limoso. ] Ebr. מְשִׁיט חֵרֵץ. Græc. & vulg. Latin. Et de luto fecit. Hieron. De luto cæni. Sic & Iustianus, & Felix, & Pagninus.

Vers. 2.

Qui ponit Dominum spem suam. ] Græc. & vulg. Lat. Cuius est nomen Domini spes eius. Sic & Arabs: cum tamen, Nomen, non sit in Ebræo.

Vers. 4.

Et non aspicit ad superbos, &c. ] Ebr. וְלֹא פָנָה אֶל רָחֲבִים וְשִׁטֵי בָדָב. Græc. & vulg. Lat. Et non respexit ad vanitates & insanias falsas. Hieron. Et non est auersus ad superbas pompasq; mendacij.

Precaus est penultimo Psalmi præcedentis versu ad Deum, vt orationem & clamorem suum audire dignaretur, & vers. 7. spem suam in Dominum esse dixit. Iam initio huius Psalmi, vt bonitatem Dei celebret, & populo Dei commendat, repetit qua spe pependit à Domino, quàm patienter opem ab ipso præstolatus sit, & acceperit etiam orando & clamando ex auditus. Atq; hoc agit versibus primis duobus: exauditionem primo, opem acceptam 2. versu ponit, sub parabola extractionis de fouea profunda, aquosa & limosa: hoc est, exitiosa, & exaltationis in petram tutissimã, expeditorumque gressuum: quibus nihil aliud, quàm se diuinitus ab internecone ereptum, & contra omnes inimicorum insidias seruatum, & in tuto collocatum esse significat.

EXPLANATIO.

Versu 3. reddit rationem huius cantici, vnde ad illud sit motus, dicens: Et dedit in os meum canticum nouum, laudem Deo nostro. Vocat autem hunc Psalmum canticum nouum, propterea quòd de recenti & nouo auxilio Dei canit. Nam ita solent pij recentia opera & beneficia Dei, recenti quoque carmine celebrare, & posteritati consecrare: qui vsus & apud nos esset, si beneficijs Dei ad laudem Dei permoueremur. Sunt qui res turpes recenti carmine celebrant, opera Dei rarissimus est qui de cantet.

Deinde in quem vsus canticum hoc nouum instituerit, subdit dicens: Videbunt multi: hoc est, cognoscent multi, & timebunt: id est, colent & sperabunt in Dominum. q. d. Meo exemplo admoniti quàm plurimi, incipient Deum agnoscere, colere omnemq; spem ac fiduciam in illum collocare.

Versu 4. cõmendans bonitatem Dei, beatum ac felicem prædicat eum, qui spem suam in Deum ponit, & nihil moratur eorum exempla, qui in hoc seculo superbiunt, & vana sectantur: quos declinantes, nimirum à Deo ad vana, vocat. Vana verò sunt omnia, in quæ impij spem suam collocant: vt sunt diuitiæ, robur, prudentia, gloria huius Mundi, & si qua sunt alia huiusmodi. Quia iustorum exempla sunt passim obuia, & iuxta periculosa: ideo beatum prædicat eum, qui nihil hæc omnia moratus, spem suam omnem in Deum transfert.

Versu 1. notandum est expectandi verbum. Prædicat quidem clamorem suum à Domino esse exaud. tum, seque è fouea perditionis ereptum, verum præmittit patientiam expectationis, dicens:

OBS. I.

F Expe